161

fluant; sed & si de heremo requirant & iam ibi ante omnia de requie pertrac-
tant & de oportunitate eius ministerii corporalis; Iam uero si ad aliquã
dispensationem uocaris aut aliquid ministerii diuini iniungere du-
eris; prima statim sollicitudo eius & prima uerba ista sunt, si est ibi requi-
es quo eundum ẽ; Si inueniantur quae necessaria sunt abundanter; Si
nihil desit eorum quae lata uia & spatiosa deposcit, quid agis? o homo? quid
loqueris? artam uiam & angustam iussus es ambulare; ut quid de requie?
ut quid de abundantia percontaris? per angustam ianuam transire iussus es?
ut quid amplos requiris ingressus? est aliquid ista permutatione nequius? &
aliquid ista peruersitate deterius; uerum ne aestimes me haec dicentem ali-
os incausare; iam nunc tibi de me inquam ipso narrabo; & enim quondam cum se-
disset animo derelicta urbe transire ad habitacula monachorum; ego scio quã
quam sollicite perscrutabar unde nobis in illis locis quae necessaria sunt corpori p̃-
berentur & si possibile esset recentis & diurni panis habere cottidie copiam; Sed &
illud non segniter requirebam, ne forte eodem oleo olla & lucerna esset aptanda;
Si non leguminis grauis & solitarius cibus sumi iuberetur; sed & ne operis ali-
quis grauis esset exactor; ne fodere cogeres aut ligna deferre aut aquam humeris
portare uel cetera huiusmodi exhibere ministeria; Ita omni sollicitudine pro re-
quie corporis percontabar; & quidem qui principibus saeculi ministrant & rei
publice negotiis inseruiunt horum nihil requirunt; Sed tantum si lucri aliquid
temporalis habeat militiae eius locus; quod si solum esse cognouerit, iam nullus fre-
fugitur labor; nullum periculum uitatur; nulla indignitas excusatur; Seruilia
etiam si ab ingenuã deposcantur officia non negabit; peregrinationes longissimas
periculosasque non respuet, contumelias cruciatus permutationes temporum;
fert & omnia spe lucri nec tamen ne forte ab ipsa miserabili spe decipiatur · ac decidat;
nec inmaturam peregrinis in locis mortem · & subitam pertimescit; Separationem
suorum coniugis etiam ac liberorum absentiam tolerabiliter patitur; non patri-
ae, non carorum mollitur affectu· Sed desiderio & cupiditate pecuniae uelut amens
agitur & amore eius incensus nihil laboris sentit, nihil doloris intellegit; nos econ-
tra qui non pecuniam quaerimus sed sapientiam, nec terram sed caelum petimus &
ad caeli diuitias festinamus quas neque oculus uidit neque auris audiuit nec in
cor hominis ascenderunt, haec inquam querentes & pro his caelo ipsi uim parantes infer-
re de requie corporis percontamur; uide quantum miseriores illis sumus & meliores
quid dicis? o homo quid agis? caelum paras ascendere & regnum celi inuadere & interro-
gas ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid in uia asperum tibi incidat.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0327